

I V S  
MATRIMONII IVDAEORVM  
IN GERMANIA  
TVM INTER SE TVM SI ALTER CONIVX  
AD SACRA CHRISTIANORVM TRANSIT.

---

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
INDVLTV  
P R A E S I D E  
IO. TOBIA RICHTERO  
PHIL. ET L. V. D. NEC NON PROF. PVBL.  
AD DIEM XXI DECEMBRIS A<sup>o</sup> C. N. MDCCLI.  
• H. L. Q. G.  
PVBLICE VENTILANDVM PROPONIT  
IOANNES GOTTLIEB WAGNER  
DRESDENSIS.

---

L I P S I A E  
LITTERIS LANGENHEMIANIS.



REPORT OF THE COMMISSIONER OF THE GENERAL LAND OFFICE  
FOR THE YEAR 1881

IN ACCORDANCE WITH THE PROVISIONS OF THE  
ACTS RELATIVE TO THE LANDS BELONGING TO THE  
CROWN

LONDON: PRINTED BY HENRY COLVILLE AND COMPANY,  
PRINTERS TO HER MAJESTY, IN THE STRAND.



IVS MATRIMONII IVDAICI  
IN GERMANIA,  
TVM IN SE, TVM SI ALTER CONIVX  
AD CHRISTIANORVM SACRA  
TRANSIT.

---



§. I.

Iudaeorum, quos in Germania recepimus, <sup>a)</sup> Iudaei in Germania toleramus, quosque, siue a tribu Iudae, siue ab Israelitis descendant, communi nomine Iudaeos appellamus, <sup>b)</sup> talis omnino est conditio, vt aliquis status iisdem denegari nequeat. Etenim status nihil est aliud quam conditio, qua quis socius fit alicuius societatis, eiusdemque iurium particeps. <sup>c)</sup> Quodsi autem Iudaeos intueamur, eos non tantum socios Germanicae no-

*Iudaei in Germania tolerati gaudent aliquo statu.*

A 2 strae

- a) De aduentu Iudaeorum in Germaniam agit IACOB. AVGVST. FRANCKENSTEIN. in diff. *de iuribus singularibus circa Iudaeos maxime in Germania* c. I. §. 1. 2.
- b) vid. IVL. PACII Ifagogic. C. de Iudaeis et Caelicol.
- c) LAVTERB. Colleg. Pandect. Lib. I. Tit. V. §. 3.

strae reipublicae, sed et iurium participes deprehendimus. Viuunt enim inter Germanos, tolerantur, gaudent publica securitate, stant in iudicio, et iustitia iis aequae ac Christianis administratur. <sup>d)</sup> Adhaec emunt, vendunt, locant, conducunt, permutant et quae sunt alia. Quicquid acquirunt, sibi acquirunt, nec ad alicuius arbitrium, seu ad fines alienos, sed ad fines proprios agunt: quae omnia quotidianis moribus commonstrantur et confirmantur. Colligo ex his, quod libertatis praecipue habeant statum, quandoquidem illa iura, ab eo, qui non est liber homo, nulla ratione exerceri possunt. Neque multum dubii superesse videtur, quin et ciuitatis Germanicae habeant statum; semel enim recepti de populo et corpore ciuitatis censentur, ita ut appellatione populi Romani in imperio nostro illi quoque contineantur, et ex consuetudine Germaniae et stylo Camerae pro ciuibus Romanis habeantur, quod inter alios praecipue testatur CASPAR ZIEGLERS. <sup>e)</sup> Praeterea Iudaei apud Germanos patria potestate gaudent; viuunt ex Imperatorum ARCADII et HONORII <sup>f)</sup> constitutione, iure communi Romano, quae Lex in Germania recepta, nulla Lege contraria sublata est. <sup>g)</sup> Exercent ius commerciorum, quod partim experientia docet, partim ex Ordinatione Iudaeorum Lipsiensi probari potest, <sup>h)</sup> qua cauetur: Keinem Juden soll versattet werden, anhero zu handeln, der nicht von seiner Obrigkeit ein Attestatum bringet, daß er ein ehrlicher Handelsmann sey. Certe nec facultas zu handeln iis tribueretur, neque nomine eines ehrlichen Handelsmannes venient,

d) PETR. SVRD. Decis. 133. no. 3.

e) in dissert. *de Iuribus Iudaeorum* cap. II. §. I. qui simul prouocat ad testimonium ROLANDI a VALLE Vol. II. Conf. 35. no. 38. item MYSINGERI Cent. V. obs. 3.

f) L. 8. C. de Iudaeis et Caelicolis.

g) conf. WEHNER voce: Juden, et ZIEGLER. all. Diff. *de Iuribus Iudaeorum*. c. II. §. 13.

h) Leipziger Juden-Ordnung de anno 1682. §. 1.

rent, nisi ius commerciorum eis competeret. Denique ius testamentorum etiam habere conspiciuntur, cum is quoque iuris communis, quo viuunt, sit effectus, neque aliud iure nouiori statutum; vnde tam testamenta valida condunt, quam ex iis capiunt, <sup>l)</sup> quinimo ex Christianorum quoque vltimis voluntatibus acquirunt, quod iam superiori seculo <sup>k)</sup> Ill. Facultas Iuridica Lipsiensis testata est his verbis: Doch aber kann nach gemeinen Schluß der Rechts Gelehrten ein Jude vor sich aus eines Christen Testament ein Legatum oder Vermächtniß wohl fordern, indem ein ieder Testator seine Güter, wem er will, zu verlassen befugt, auch die Testamente billig bey Kräfften erhalten werden sollen, bevorab, weil die Rechte außdrücklich nicht verbiethen, daß ein Christ einem Juden ein Legatum vermachen könne, überdieß die Juden an unterschiedenen Orten auf gewisse Maasse und vorgeschriebene Geseze geduldet und gelitten werden. Quae omnia Iudaeis tributa, tanquam praecipua ciuium Germanicorum iura, statum ciuitatis, simul vt opinor euincunt. Sed quid opus est multis argumentis, vbi expressa Lex loquitur. Extat in hanc rem singularis quaedam constitutio RVDOLPHI II. Imperatoris, <sup>l)</sup> qua dicitur: Diemeil denn die gemeine Jüdischeit, nach Inhalt unser Vorfahren sich gemeiniglich in allen Fällen, darinnen keine Fürsuhung geschehen, unser und des heil. Röm. Reichs gemeinen Rechts gebrauchen mag und soll. Iudaeos itaque sua conditione, imperii iure communi, ac inde statu ciuitatis etiam gaudere, certum est.

A 3

§. II.

- i) STRYK. Tr. de Cautel. testamentor. c. 3. n. 61. it. ZIEGLER. all. diff. c. 3. §. 10. et §. 17.  
 k) Praeiuudicium 20. 1633. Iudaeis Francofurtensibus datum quod adducit ZIEGLERVS all. loc.  
 l) de 20. 1580. conf. WILDVOGELII *diff. de Iudaeorum receptione ac tolerantia* Th. 5. in f.

## §. II.

*Hinc Ius  
Personarum  
sunt partici-  
pes.*

Quae cum ita sint, nulli dubitamus, quin Iudaeis in Germania competat ius aliquod personarum. Cum enim ius personarum sit facultas moralis cuilibet ex civili sua conditione competens, necesse est, ut cuius statum habenti, eiusdem effectus quoque, nimirum ius personarum tribuatur. Quemadmodum vero, Iudaeos in Germania statum habere, satis docuimus, ita iisdem status effectum, seu ius ex statu proficiens personarum nemo denegabit. Quo firmato non quidem est, quod omnia singulaque pluribus enarremus, possunt enim ex cognita Iudaeorum conditione, illa quoque facillime perspicui atque cognosci, et Lex ipsa <sup>a)</sup> tradit regulam, qua permittitur sich gemeiniglich in allen Fällen darinnen keine Fürsorgung geschehen, unser und des H. R. Reichs gemeinen Rechten zu gebrauchen. Si quis igitur iuris cuiusdam exercitium Iudaeis denegat, Legem qua illud cauetur, haud grauebitur allegare. At enim vero dubia, quae nostrae sententiae obesse videntur, potissimum sunt tollenda. Dantur enim nonnulli, qui Iudaeis ius personarum, imprimis illud, quod civibus proprium est, idcirco plane negant, quia viles sunt atque infamibus similes, eoque nomine discreto vestitu, vel alio parum honesto caractere notati incedere tenentur: <sup>b)</sup> nec non quia omnium dignitatum incapaces sunt, indeque nec nobilitate ornari, neque Doctores creari, neque officio publico praeesse possunt, et quae sunt reliqua. <sup>c)</sup> Sed videamus, vtrum dictae opiniones tum in se verae sint, tum id efficiant, quod inde magis extorquent, quam iusta ratione

a) Constitutio RVDOLPHI II. de ao. 1580.

b) vid. Reformation guter Policey zu Augspurg de ao. 1530. Tit. von der Juden Kleidung, vbi quidem statuitur: desgleichen daß die Juden einen gelben Ring an dem Rock oder Kappen, allenthalben undersorgen zu ihrer Erkentnis öffentlich tragen. Infames Iudaeos declarat MASCARDVS de Probation. Concl. 945. no. 21.

c) De eo quod omni dignitate exclusi sint, vid. STAMM. de Seruitut. Personar. Lib. I. tit. 5. c. 1. §. 13. sequ.

ne concludunt. Equidem ante omnia nego, quod Iudaei iure sint infames aut iis similes, quandoquidem nemo tam iure quam moribus nostris cenfetur infamis aut ei similis, nisi Lege notatus,<sup>d)</sup> quae tamen Legis dispositio huc vsque ignoratur. Deinde quacnam fit argumentandi concludendique ratio, eum, qui in republica vilis est conditionis, aut a dignitatibus, officiis atque muneribus publicis excluditur, iure ciuitatis communi cenferi priuatum, ego prorsus non intelligo. Si haec fluunt, profecto necesse est, vt vigilarios, rhedarios, lecticarios aliosque, quorum non adeo magna est conditio, item foeminas, quippe quae, vt inter omnes constat, et VLPIANO<sup>e)</sup> teste, ab omnibus officiis ciuilibus vel publicis remotae sunt, a communi ciuitatis iure non minus excludamus. Quis autem quaeso salua iuris analogia nominatis, aliisque eiusdem generis personis ius testandi, contrahendi, matrimonium legitimum ineundi, aliaque, quibus eas quotidie vt videmus, denegabit? Quemadmodum itaque hoc affirmare absonum foret; ita pariter Iudaeos, quia viles dignitatumque ac officiorum publicorum incapaces sunt, ab omni iure personarum remouere, incongruum plane, ne dicam iniustum, esset. Alii nouo et a seruili Iudaeorum conditione desumpto argumento insurgunt, iisque ius personarum ideo negant, quia illud cum seruis non communicaretur. Iudaeos autem seruos esse, eo demonstrant, quod des Reichs. Knechte, des Römischen Königs Cammer zu eigen gegeben, appellentur,<sup>f)</sup> item quod CAROLVS IV. imperator<sup>g)</sup> statuat: alle Juden gehören mit Leib und mit Gut Inser. Cammer, und seynd in Inser Gewalt, und Hände, daß

d) Praesid. Select. Iur. Princip. Disp. VI. pos. 8.

e) L. 2. ff. de R. I. add. L. 4. C. de sponsalib.

f) in Iur. Allemann. c. 76.

g) Privilegium CAROLI IV. Ioanni et Alberto Burggrauiis Norimbergens. datum de anno 1347. quod exhibet LIMNAEVS T. I. Addit. ad Lib. VII. c. 5.

daß wir mit unser Mächtlichkeit damit thun und lassen mögen, was wir wollen. Quod vero ad rem ipsam attinet, non quidem diffiteor, Iudæos antiquo tempore in Germania durius habitos, <sup>h)</sup> atque tempore CAROLI IV. adhuc <sup>i)</sup> seruilis conditionis fuisse: at nostro tempore eos in seruitute esse desiisse persuasissimum mihi omnino habeo. Cum enim imperator ius recipiendi Iudæos, quo eos olim sibi soli additos declarabat, dudum cum statibus communicauerit, <sup>k)</sup> conditio Iudæorum, et ius quod habent, non amplius ex illo sed ex præsentis tempore diiudicari debet. Iam vero seruus cogitari nequit, nisi seruiat, et Iudæos neque publico neque priuatis præstare seruitia, in aprico est positum: vnde in seruorum numero eos esse statui nequit; Id magis eo confirmatur, quod, vt supra docui, ex consuetudine Germaniæ et stylo Cameræ pro ciuibus Romanis habeantur. Parum obest, quod quandoque Knechte appellentur, non enim rarum est in Germania quosdam Knechte appellari, qui tamen seruilis conditionis non sunt, cuiusmodi exempla sunt, bey denen Thür-Knechten, Fuß-Knechten, item Brau-Best-Schuh- und Schmiede-Knechten. Taceo reliqua. Habebunt itaque Iudæi ius personarum, libertatis aequæ ac ciuitatis in Germania, sic tamen vt hoc ad præscriptas condiciones, seu vt loquitur imperator Rudolphus II. in allen Fällen, darinnen keine Fürscheidung geschehen, tantum exercere possint.

## §. III.

- h) vid. Statutum s. LVDOVICI de æo. 1230. de Iudæis T. V. Histor. Franc. p. 421. it. Charta FRIDERICI II. de æo. 1237. apud PETR. LAMBECC. Lib. II. de Biblioth. Caes. c. 5. p. 80.
- i) HERTII diss. de *subiect. territor.* in appendice.
- k) Reformat. Politic. de anno 1548. Tit. Von Juden, ibi. daß sîro- sin niemand Juden anzunehmen, oder zu halten gestattet werden soll, dann denjenigen die von uns und dem Heil. Reich Regalia haben, oder insonderheit derschiben privilegirt seyn. add. Reformat. Polit. Emend. Francof. Tit. Von Juden, de æo. 1577.



## §. III.

Ius personarum, quo ciues in republica gaudent, inter alia hoc etiam praefertim efficit, vt quis legitimus, et ad effectus ciuiles, inire possit matrimonium. Idque non olim tantum apud Romanos ciuibus erat proprium, sed hodieque adhuc illis conceditur, qui vel ius ciuitatis habent, vel ciuibus exaequati sunt. Cum itaque Iudaeis ius ciuitatis commune tribuerimus; merito in quaestionem venit, quid de horum matrimoniis apud nos in Germania sentiendum sit? Quae res eo dignior singulari peruestigatione videtur, quo certius est, ac nosmet ipsam fassi sumus simulque probatum dedimus, Iudaeos secundum condiciones praefcriptas, adeoque iure quasi limitato, viuere teneri. Videndum igitur est, an, et quatenus Iudaeorum matrimonia valida et iusta nuncupanda sint. Ac illud quidem est, quod in praesenti dissertatione fusius pertractare apud animum nostrum constituimus. Cum autem ea in re varii diuersi casus contingere possint, qui nequaquam commiscendi, sed probe distinguendi sunt, nostrum etiam esse arbitramur, vt in hac tractatione omnia bene ac rite discernamus. Quod vt recte fiat, ante ponendum est, Iudaeos vel inter se, vel cum Christianis, atque postremo casu ante vel post conuersionem, inire posse matrimonium. Et porro conuersus Iudaeus vel Iudaica vxore adhuc superstite adeoque coniugatus, vel solutus Christianam ducere potest. Vt igitur de his omnibus, quid iuri conueniat, distincte intelligatur, hunc seruabimus ordinem, vt primum de matrimoniis Iudaeorum inter se eorumque valore, ac deinde de eo casu, vbi Iudaeus qua talis cum Christiana coit, denique de eo, quo conuersus cuius Iudaica vxor adhuc superest, tandem quo conuersus solutus duxit Christianam, agamus.

## §. IV.

*Matrimo-  
nium Iudai-  
cum est vali-  
dum Iure Na-  
turae et Gen-  
tium.*

Quod si ergo primum matrimonium inter Iudaeum et Iudaeam in Germania contractum in se contemplerur, id quidem tam iure naturae, quam gentium corroborari firmiterque haberi deprehendimus. Etenim in genere matrimonium est societas inter masculum et foeminam liberorum procreandorum causa inita, idque per inodum pacti contrahitur perficiturque. \*) Hoc inire naturaliter omnibus, qui humanae naturae participes sunt, non tantum permittitur, sed propemodum ad promouendam publicam vtilitatem imprimis est obstrictus, b) haec autem eo maxime promouetur, quod liberi procreentur, et a parentibus coniugibus propter σοφῶν bene educentur, quandoquidem hac ratione genus humanum non augetur tantum, sed etiam ita conseruatur, vt omnes in republica, etiam nouiter procreati ac educati, satis apti sint ad communem salutem promouendam. Ex his quantus vnus cuiusuis matrimonii sit valor abunde perspicitur. Scilicet vt istud iniri possit ac debeat, semelque contractum validissimum sit, firmam aequae obligationem ac ius perfectum producat, ex duplici ratione consequitur, partim quia pacto nititur, quod semper seruandum est, partim vero, quia quilibet id officii sibi impositum sentit, vt liberos procreet, eosdem educet, atque sic publicam promoueat salutem. Iam vero Iudaei sunt homines et pacisci valide possunt. Sunt praeterea illius, in qua tolerantur, reipublicae membra; hinc quid de Iudaico matrimonio ac eius valore secundum Ius naturale sentiendum sit, facile patet. Erit ob vtramque a me allega-

a) Excell. AVGVST. FRIDERICI MVLLERI Natur- und Wölkter-Recht Cap. XII. §. 6.

b) Idem all. loc. §. 1. sequ. Quae matrimonium ineundi necessitas etiam ex scopo partium corporis humani apparere viderur vid. Perill. L. B. DE WOLF Gedanken von den Absichten der Eheleuten Menschen und Pflanzen.

allegatam rationem validissimum, quia Iudaei nec a valore pactorum, nec ab officiis, quae aliis ciuibus incumbunt, quasi non teneantur, exempti sunt. Quod vero ad ius gentium attinet, gentes moratioris vnanimi consensu, id quod dixi, seruant, Iudaeisque coniugibus ius coniugum tribuunt. Nulli enim vsitatum esse animaduertimus, quod Iudaei, vt animalia bruta, vago atque furtiuo more cocant, aut forte ad instar feruorum Romanorum, in contubernio tantum, nec in matrimonio viuant; sed hunc morem potius communi quasi suffragio inter gentes receptum intelligimus, vt Iudaeis, vbi eiiciendi non videbantur, iustarum nuptiarum fructus concedantur. Cum enim tolerandi sint, quippe eos perituros non esse CHRISTVS <sup>c)</sup> ipse praedixit; communis gentium vtilitas maxime suadere videtur, vt ne valor matrimonii Iudaici tollatur, quoniam, nisi inter Iudaeos etiam ius parentum et liberorum, necessitas educandi et alendi, et quae sunt reliqua, comprobarentur, tota gens confusa instar ferarum circumuagaretur, aliis noceret, publicamque securitatem valde turbaret. Vt omittam, gentes id quidem, quod ius naturae ratum habet atque probat, parum pensi habere, aut plane mutare, adeoque Iudaeis ius matrimonii denegare non posse. Quemadmodum vero ius gentium aequae ac ius naturae tam vniuersale est, vt etiam Germanos obstringat; sic ea quae ex vtroque hoc iure de Iudaico matrimonio propofui, in Germania valere manifestum est.

## §. V.

Quae haftenus de matrimonio Iudaeorum secundum Ius <sup>*Etiā Ius*</sup> naturale et gentium differuimus, ea quoque ius civile <sup>*Ciuile matrimo-*</sup> IV- <sup>*onium Iu-*</sup> STINIANI imperatoris egregie probat, quippe quo Iudaeorum <sup>*daeorum pro-*</sup> bat. <sup>*bat.*</sup> cum matrimonium non minus ratum firmumque declaratur. Euoluamus enim THEODOSII, ARCADII et HONORII

B 2

impe-

c) vid. LVC. c. 21. vers. 32.

imperatorum constitutionem, <sup>a)</sup> qua sancitur: „*Nemo Iudaeorum morem suum in coniunctionibus retineat nec iuxta Legem suam nuptias sortiatur. nec in diuersa sub vno tempore coniugia conueniat.* Cum itaque nemo Iudaeorum morem suum in coniunctionibus retinere debeat, eo ipso nuptias eorum probatas esse intelligimus. Quod si enim nullum ius matrimonii Iudaei haberent, perinde profecto foret, an suum, an alium, aut etiam nullum singularem morem, adeoque an propinquitatem personarum certam, an nullam in coniunctionibus obseruarent. Idem fere dicendum est de eo, quod iuxta Legem suam nuptias fortiri non possint. Certe quicumque nullum ius nuptiarum competit, ille nec Legem aliquam in contrahendis nuptiis habere praescriptam, nec adeo negligere eam potest. Denique quando constituitur, Iudaeos in diuersa sub vno tempore coniugia conuenire non posse, hac Lege clarissime indicatur, dari eorum coniugium certum atque validum; si enim nullum esset, nec plura eaque sub eodem tempore diuersa contingere possent, adeoque tota haec Legis dispositio, qua in diuersa coniugia simul conuenire inhihentur, vana et superflua foret, quod tamen hoc loco nefas esset affirmare. Quodsi praeterea in considerationem vocemus, Iudaeos iure communi Romano viuere, <sup>b)</sup> dubium nullum superest, quin eorum nuptiae, eodem iure iustae censeantur. Est vero ius Romanum a Germanis receptum, ita, vt quod eo cautum, omnem in Germania valorem habeat, quatenus ab huius reipublicae statu non est alienum. Hinc et illud, quod de Iudaeorum matrimonio a me dictum, in Germania obtinere credendum est, quia Iudaeos apud nos tolerari et in tutelam receptos esse videmus.

a) L. 7. Cod. de Iudaeis. conf. WILDVOGELII *diff. de Iudaeorum receptione ac tolerantia.* Th. XI.

b) L. 8. C. de Iudaeis.

mus. c) Superest vt hoc loco etiam iuris canonici mentionem faciam, ex eoque ostendam, quid de matrimonio Iudaeorum statutum sit, imprimis quia hoc iure protestantes etiam prae IVSTINIANI praeceptis vtuntur. Tantum vero abest, vt iure canonico nuptiae Iudaicae habeantur inualidae, vt potius disertis verbis constantes declarentur. Ait enim pontifex INNOCENTIVS III. d): *a Iudaeis Dominus requisitus, si liceret, uxorem ex quacunque causa dimittere, ipsis respondit: quos Deus coniunxit, homo non separet; per hoc immens esse matrimonium inter eos.* Ea igitur in re fere omnia iura conspirare haecenus obseruauimus.

## §. VI.

Quid vero moribus hodiernis obtinet? eane seruantur, quae ius naturae et gentium, pariter atque ius ciuile admittit? Equidem fatcor de iis vix esse quod multa dicantur, quia id quod quotidie videmus, neque demonstratione neque illustratione pluribus verbis exposita indiget. At tamen vt intelligatur, quo praecipue in his moribus diiudicandis respiciendum sit, praecipua huius rei capita paucis tantum enarrabo. Videlicet ante omnia quotidiana edocemur experientia, quod Iudaei matrimonia celebrent, et ex iisdem iura exercent. a) Ita marito, et patri Iudaeo nec maritale, nec patriae potestatis, ius denegamus: vxori autem Iudaicae, quae ei ex inito coniugio propria sunt, sponse tribuimus. Pacta dotalia horum coniugum seruamus, nec non vxori tacitam hypothecam intuitu paraphernorum in bonis mariti aliaque concedimus, quorum omnium IOANNES IODOCVS BECKIVS b) tum praestantissimorum ICto-

B 3

rum

c) FRANCKENSTEIN. *diff. de Iuribus singularibus circa Iudaeos maxime in Germania* Cap. I. §. 12.

d) c. 4. X. de consanguin. et affinit. item c. 8. X. de diuortii.

a) B. BOENMERI *Introductio in Ius digestorum* Tit. de Ritu nuptiar. §. 2.

b) IO. IODOC. BECK. *Tr. de Iuribus Iudaeorum* Cap. VII. §. 21. 22. 23. 24. 25.

rum auctoritate, tum variorum Collegiorum iuridicorum praeiudiciis et responsis munitum assertit testimonium. Deinde ut hodiernum Iudaeis dicta omnia largiamur, imperii nostri dispositio postulare videtur, qua neminem facile, qui inter Germanos commoratur ac toleratur, quinimo ne seruos quidem, quos habemus, ab usu communis iuris, et potissimum a iure connubiorum excludimus. Cum enim in Germania Iudaei commorentur ac tolerentur, neque Legibus domesticis iuris matrimonii exercitium iis ademptum sit, eodem iure tam diu utuntur, quam diu aliud quicquam nouis Legibus aut consuetudinibus non est introductum. Idque in omnibus imperii partibus atque territoriis asserendum est, quatenus in iis, ex iure recipiendi Iudaeos, ab imperatore cum electoribus ceterisque imperii principibus atque statibus, communicato, c) Iudaei vere recepti sunt, quia subditi prouinciales simul imperiales, adeoque iuris imperii communis capaces censentur. d) Hoc tamen negari nequit, quod receptio sit liberrimae voluntatis; hinc a statu quodam imperii ea vel plane recusari et prohiberi, vel si decernatur et fiat, sub conditione iuriumque limitatione fieri omnino potest. Vbicunque igitur vel Iudaei plane non recipiuntur, sicut in Saxonia, e) vel receptorum ius, forsitan quoque intuitu matrimonii, determinatum ac limitatum est, ibi de plenissimo effectu et iure matrimonii Iudaeorum multum disputare superuacaneum esset, quia Lex totam rem iam composuit atque confecit. Quidsi autem Iudaeis alius territorii, ubi recepti erant, legitimumque matrimonium contraxerant, nunc in alio territorio ex suo coniugio ius quoddam exercere velint, veluti si Iudaica vxor Halensis, post matri-

c) vid. Aur. Bull. Tit. 9. §. 2. et Ordinar. Politic. de ao. 1548. Tit. von Juden.

d) Praesid. Selectior. Iur. Princip. Disp. I. pos. 24.

e) vid. MYLER AB EHRENBACH de Principib. et Statib. Imperii P. II. c. 60. n. 3. 4.

matrimonium solutum, ex rebus quas maritus in Saxonia habet, dotem repetat, aut aliud quoddam ex pactis dotalibus postulet, num audienda eique iustitia ex iure matrimonii administranda sit? Ego cur dubitem, nihil habeo. Quamvis enim in Saxonia Iudaei non tolerantur adeoque fieri vix possit, ut eorum matrimonium ibidem contrahatur, hoc tamen alibi rite celebratum etiam apud Saxones ratum habendum est, quoniam ex iure gentium valorem habet atque effectum. Deinde idem ius gentium efflagitat, ut id quod in aliqua republica, quamvis ex iure singulari tantum rite peractum est, in alia republica haud irritum reddatur. Et in genere iustum est, ut in alicuius negotii perfectione ac validitate diiudicanda, ad Leges illius loci, ubi illud contractum est, respiciatur; vnde et Iudaicum matrimonium aliquo loco rite celebratum, alibi procul dubio iure validum erit, et plenissimum effectum producet.

#### §. VII.

Cum itaque matrimonia Iudaeorum in Germania iusta *Matrimonium istud secundum ius civile, non Mosaicum diiudicari debet.* esse ostenderit, merito iam quaeritur, quo iure illa contrahenda sint atque diiudicanda? Possunt enim Iudaei forte ob religionem suam ad ius Mosaicum adhuc adstricti videri, vel etiam, quia in nostra republica viuunt, secundum nostras Leges actiones suas dirigere teneri. Qua in re ego quidem eos ad nostras sanctiones alligatos esse constans affirmo. Etenim matrimonium in se non est spirituale aut mere ecclesiasticum sed profanum atque civile negotium, quod mutui adiutorii, boni ordinis ac publicae utilitatis causa, veluti ut coniuges sibi assistant, et si soboles procreauerint, parentes certi sint, liberique bene educantur, tum ab ipso Deo introductum, \*) tum Legibus humanis magis magisque confirmatum est. Quae cum ita sint, matrimonium Iudaeorum ut potissimum secundum ius civile contrahatur, et contractum diiudicetur,

a) Genes. c. II. v. 18. 20.

dicetur oportet. Non tamen ius Mosaicum, sed illius reipublicae praecepta, in qua Iudaei commorantur, normam istam tantum praestare, sum' probaturus. Etenim ius civile seu forense, cuius in sacris bibliis fit mentio, ad Iudaicam spectat reipublicam, eamque existentem supponit. Postquam autem Iudaei dudum in sua reipublica vivere desierunt, et in toto terrarum orbe inter varios populos disiecti sunt; hinc suas Leges, quas quidem in Iudaico statu seruabant, hodie amplius seruare ne quidem possunt, quia reipublica quadam sublata penitusque extincta, totum eiusdem reipublicae ius euanescere, in vniuersum verum est. Equidem cum ZIEGLER<sup>b)</sup> ea excipio, quae ad sacra Iudaeorum pertinent, quoniam vnusquisque, vt religionem suam deserat, non tam gladio et igne cogendus, quam firmis argumentis de illius falsitate conuincendus est: neque minus Legem vniuersalem eamque moralem pariter atque positiuam, ab illa regula excipiendam esse statuo, quippe quae, quatenus iure Moseico continetur, vt Lex aeterna et immutabilis omniumque optima, nec non sanctitati et perfectioni diuinae respondens, non Iudaeos tantum sed etiam cum iis Christianos ceterasque gentes in perpetuum ligat. Verum haec matrimonium iure Mosaico tantum dimetiendum esse non euincunt, quia matrimonium a nemine inter sacra refertur, Lex vero vniuersalis diuina non Iudaeis tantum sed omnibus hominibus lata, adeoque pro Lege Mosaica particulari ne quidem habenda est. Quicquid igitur ex hoc iure matrimonii causam forte concernit, id quidem a Iudaeis qua hominibus seruandum, attamen solum in eo haud subsistendum, sed praeterea illius reipublicae, in qua Iudaei recepti sunt, ius in matrimoniis contrahendis sequendum est. Nimirum Iudaei eius reipublicae cui subsunt, ciues ac membra sunt, adeoque voluntati illius, cui

omnes

b) ZIEGLER. all. diff. de Iuribus Iudaeorum c. I. §. 5. ibique alleg. OLEARIVS in Vniuers. Theol. System. Theol. Positiu. art. 72. §. 2.



omnes in ea republica parent, se quoque suamque voluntatem subiicere tenentur; hinc etiam in matrimoniis contrahendis eiusdem reipublicae Leges negligere non possunt, quoniam alias vel absque Legibus viuerent, vel suam separatam rempublicam in republica constituerent, quorum neutrum tamen affirmari aut Iudaeis concedi potest. Quod si ergo in Germania, contra ea, quae de matrimoniis Germani constituerunt vel receperunt, Iudaei coiuerint, *neque vir, ut ait imperator IVSTINIANVS, c) neque uxor, nec nuptiae, nec matrimonium, nec dos intelligitur.* Neque haec quae proposui, a moribus Germanorum auitis sunt aliena; nam a LVDOVICO PIO et LOTHARIO imperatoribus d) iam iam seuerè est constitutum, ut Iudaei iuxta Legem, quae Christianis est lata, vsque ad septimi generis gradum concessum connubia contrahant. Quod hodieque, quia generalibus principiis conuenit, et Germani antiquos mores adhuc tuerentur, vsu seruari credendum est.

#### §. VIII.

Quamuis vero nuptiae Iudaeorum in Germania tunc *Formulae et ritus nuptiarum contrahendarum* demum iustae censcantur, si secundum nostras Leges Germanicas sunt contractae; tamen ad formam externam quod *attinet, videlicet ritus in ipso actu solenni obseruandos, hos proprii Iudaeis ex consuetudine relinquantur.* Solennitates has recenset late BVXTORFIVS a) et post eum supra nominatus BECKIVS b) quorum vterque refert, quod sedulo Iudaei cauere teneantur, ne festiuitati ac imprimis epulis nuptiarum, Christianos interesse permittant, aut hos inuident, et si secus factum sit, bonos angelos quod Christiani intersint videntes aufugere, eorumque in locum diabolum

c) In §. 12. I. de nupt.

d) Vid. GOLDAST. Constitut. Imper. Tom. III. de anno. 826. p. 255.

a) BVXTORF. in Synagog. Iudaic. Cap. XXXIX.

b) BECKIVS Tr. de Iuribus Iudaeorum Cap. VII. §. 18. sequ.

bolum succedere multumque mali afferre, sibi persuadeant. Quam futilis sanaeque rationi contraria haec sit opinio, nemo non animaduertit; ego vero nec in ea discutienda, nec in ritibus illis enarrandis longius procedam, quoniam vtrumque a scopo meo alienum est. Adducam potius iuris rationem, cur suos ritus Iudaei adhuc obseruent, quae quidem alia non est, quam consuetudo ex tacita superiorum voluntate orta. Poterat enim fieri, ut Iudaeis, cum reciperentur, sicut in genere, ita et in matrimoniali causa, Leges, sub quibus tolerandi essent, praescriberentur, quia ei, a quo tota receptio pendet, tolerantiae Legem ex arbitrio addere non potest non licere. Quod cum hac in re factum non sit, superiores tolerantes ritus nuptiales tacite approbasse, manifestum est. Quemadmodum vero ius etiam non scriptum contrario iure tolli ac mutari potest; ita quin haec consuetudo pariter mutationi sit obnoxia, non habeo cur dubitem. Nolim tamen ex his inferri, matrimoniales Iudaeorum causas adhuc secundum Ius Mosaicum in totum esse dimetiendas, ut quidem sibi nonnullos persuasisse scio. Namque omnes eiusmodi ritus tantum matrimonii formam eamque externam respiciunt, ideoque introducti sunt, ut occasio sit cauendi, ne quid ex amentia amoris in reipublicae detrimentum forte fiat, c) vnde etiam publica semper auctoritate obseruari solent, ut testimonio fiat, publico non aduersari, quod inter priuatos actum est. Haec solennia sicuti solo ab arbitrio principis determinationem accipiunt, atque alicubi etiam a Christianis coram iudice seculari, vel coram notario testibusque peraguntur, d) in Germania vero, et ubi ius canonicum viget, ecclesiasticis ritibus absoluuntur; e) ita non minus arbitrio

c) Praesid. Tr. de nuptiis Cap. III. §. 7. ff. 2.

d) Vid. HARN. ad WESENBECK. Paratitl. Pandectar. P. II. de ritu nuptiar. p. 155. ff. 10. LOCCEN. Syn. Iur. ad Leges Suecicas diff. III. membr. 2. th. 8.

e) all. Praesid. Tr. de nuptiis. Cap. III. §. 8.

arbitrio superiorum Iudaeis forma in celebrandis nuptiis externa propria relicta est. Sed haec externa forma matrimonii substantiam non constituit, adeoque matrimonii Legem in genere dare nequaquam potest. Hinc male is philosopharetur, qui ab hac forma, maximam partem ex iure Moisaico depromta, ad eiusdem iuris, omni ex parte, in matrimonii Iudaeorum observationem, duceret conclusionem, quia ei, cui pars concessa, totum ideo concessum non censetur.

Quibus ita comparatis, Iudaeos in Germania iustas nuptias non aliter, quam Christianos, modo formam externam excipias, inire posse, certissimum est. Quicquid igitur laudatus BECKIUS <sup>f)</sup> et ante eum IVLIUS CLARUS <sup>g)</sup> nec non COVARRUVIAS <sup>h)</sup> item WAGENSEILIVS <sup>i)</sup> aliique in contrarium statuerunt, ex rationibus a me propositis facile corrui, Legibusque expressis etiam a me adductis <sup>k)</sup> iamiam infirmatum est, ita vt multis verbis eos refutare, vix operae pretium esse, arbitrer.

### §. IX.

Hucusque de matrimonio Iudaeorum inter se satis, *Iudaeo qua tali Christianam ducere, et vice versa, interdicitur est.* quod opinor, dictum est. Videndum nunc est, quid Leges statuunt, eo casu, quo inter Iudaeum et Christianam aut versa vice coniunctio matrimonialis intenditur; vbi quidem alius casus, nempe si Iudaeus qua talis, ab alio diuerso, scilicet si Iudaeus conuersus Christianam ducere velit, separandus, ac de illo primum agendum est. Siue autem illo casu Christianam Iudaeo, siue Iudaeam Christiano nupturam respicio, vtrinque Legis expressam reperio prohibitionem. Audiamus hac de re VALENTINIANI THEODOSII et

C 2

ARCA

f) all. Tr. de Iuribus Iudaeor. Cap. VII. §. 1. p. 63.

g) Lib. V. Receptar. sententiar. §. incestus.

h) De Matrimon. P. II. T. I. §. 10. n. 7.

i) Diff. de Iudaeis, thes. 15.

k) h. diff. §. VIII. it. L. 8. C. de Iudaeis. et Coelicol. §. VI. allegata.

ARCADII <sup>a)</sup>) imperatorum constitutionem: *Ne quis Christianam mulierem in matrimonium Iudaeus accipiat: neque Iudaeae Christianus coniugium sortiatur; nam si quis aliquid huiusmodi admisit, adulteri vicem commissi huiusmodi crimen obtinebit: libertate in accusandum publicis quoque vocibus relaxata.* Quae Legis dispositio tam perspicua est atque clara, ut neque interpretatione neque illustratione quadam indigeat. Eidemque accedit quod iure canonico habetur, quippe quo <sup>b)</sup>) cauetur: *ut omnes clerici siue laici Iudaeorum conuiuia euitent, nec eos ad conuiuium quisquam accipiat: quia, cum apud Christianos communibus cibis non utantur, indignum atque sacrilegum est eorum cibos a Christianis sumi, cum ea, quae, Apostolo permittente, nos sumimus; ab illis iudicentur immunda, ac sic inferiores incipiant esse Christiani, quam Iudaei, si nos, quae ab illis asponuntur, utamur, illi vero a nobis oblata contemnunt.* Quanto minus igitur etiam hoc iure matrimonium inter Christianum et Iudaeam, et vice versa contrahere licebit, quia Christianis ne quidem cum Iudaeis epulari est permittum. Quodsi ergo secus factum, et nihilominus inter eiusmodi diuersae religionis homines coniugale consortium celebratum sit, illud non potest non esse nullum, quia Legum auctoritate et confirmatione destituitur, quinimmo contra prohibitionem expressam est colligatum. Hinc equidem cum ZIEGLERO <sup>c)</sup>) affirmare non ambigo, eo casu non tantum nullum ius viri et uxoris, neque ius dotis donationisque propter nuptias, neque ius patriae potestatis, neque aliud quidpiam quod alias ex matrimonio iusto fluit, inde tribui; sed etiam ipsos coeuntes tanquam adulteros ac incestuosos capite puniendos, quin et liberos ex eiusmodi commixtione conceptos, pro incestuo-

a) L. 6. C. de Iudaeis et Coelicol.

b) c. 14. C. XXVIII. qu. 1. add. c. 10. 15. 17. C. XXVIII. qu. 1.

c) ZIEGLER, saepe all. Diss. de Iuribus Iudaeorum cap. 11. §. 16.

cestuosus habendos, et a iure tam succedendi, quam alimenta petendi, esse excludendos.

## §. X.

Sequitur alter casus, quo Iudaeus conuersus cum Christiana coit, qui dupliciter itidem contingere potest, vel ita vt Iudaeus solutus, vel Iudaicae vxori coniunctus, matrimonium cum Christiana ineundum exoptet. Quod ad illum atinet, veluti si Iudaeus solutus post religionis Iudaicae cum Christiana mutationem, Christianam vxorem desideret, ego quidem nihil video quod ei iure sit impedimento. Postquam enim Christianam fidem amplexus est, ipse quoque non tantum appellari meretur, sed vere factus est Christianus. Hinc quicquid Christianis permittum, id ei prohibitum esse nequit, adeoque quia Christianis validissimum contrahere licet matrimonium, eiusmodi nostrae religioni nunc addicto idem ius denegari nulla ratione potest. Quod enim ea in re nonnulli Christianorum prae aliis eiusdem fidei focis, aut etiam prae eiusmodi quasi modo genito, praerogatiuam habeant, neque iam constat, neque probari vnquam ex Legibus potest. Quid? quod argumentum pro nostra sententia grauissimum ex Legibus depromptum iamiam habeamus. Etenim iure canonico \*) statuitur: *non oportet cum hominibus haereticis miscere conubia, et vel filios vel filias dare, sed potius accipere, si tamen se profiteantur Christianos esse futuros.* Quo canone conubium haereticis cum Christiana ratum habetur, si ille Christianum futurum se esse profiteatur: quanto magis igitur istud matrimonium ratum habendum est, vbi maritus iam antea Christianum se iamiam professus est? Ceterum ex modo dictis simul apparet, quod illud inter Iudaeum solutum et Christianam celebratum matrimonium, sicubi haereticus Christianum futurum se esse tantum professus est, subsistat, vitiumque quod

\*) c. 16. C. XXVIII. qu. 1.

initio aderat, sacramento baptismatis postea accedente, retollatur.

## §. XI.

*Matrimonium Iudaicum etiam post alterius coniugis conversionem in se ad huc durat.*

Supereft ultimus casus, quo Iudaeus Iudaicae vxori matrimonio iunctus, postquam ad sacra Christianorum transiit, Iudaicam suam vxorem deserere atque Christianam ducere intendit. Cuiusmodi exemplum ante triennium, et quod excurrit, Dresdae obuenerit, vbi Iudaeus sacro bap- tismate lautus C. D. R. Iudaicam vxorem Loschützii in Mo- rauia superstitem deserere, et aliud cum Christiana matrimo- nium inire cupiebat. Quo ad sacerdotem relato, hic tam proclamationem, quam sacerdotalem benedictionem denegabat, et ab illo C. D. R. poscebat, vt haec omnia nota fa- ceret Iudaicae vxori, eiusque animum exploraret, annon forte eum maritum sequi, fidemque Christianam aeque amplecti vellet. Quamuis vero ad praecedentem iudicalem requisitionem, Iudaica illa vxor coram magistratu interroga- ta responderit, se quidem neque ad Christianorum sacra transituram, neque maritum suum secuturam, attamen nec vt hic aliam vxorem duceret, permissuram esse, sacerdos tamen horum omnium certior factus, nihilominus denuo et proclamationem et ipsam benedictionem denegabat, ratus ea, rebus ita comparatis, sine speciali supremi Consistorii permisso fieri non posse. Qua occasione quaestio oriebatur: an illi conuerso iure concedendum sit, vt neglecta deserta- que Iudaica vxore, aliam duceret Christianam? Ego itaque hac in re, quid secundum iuris principia statuendum sit, paucis disquiram. Quo loco ante omnia peruestigandum videtur, an matrimonium a conuerso, quondam apud Iudaeos celebratum, nunc validum adhuc duret; quod vt affirmem ra- tiones partim a me supra traditae omnino faciunt firmissi- mae. Satis enim iam dedi probatum, a) quod matrimo-  
nium

a) h. diff. §. IV. V. VI.

nium Iudaeorum, inter se contractum iure tam naturali et gentium, quam civili, nec non moribus nostris iustissimum habeatur, Quod cum verum sit, tanto magis idem adhuc valebit, postquam alter coniux nostrae religioni est addictus, cum ei hac ratione nihil detractum conspiciatur, sed potius secutum sit id, quod Christiani exoptant. Quid igitur haberemus cur Iudaeis plus quam nostrae fidei focis hac in re faueremus? Accedit, quod nulla Lege cautum sit, Christianam fidem esse causam, qua coniugium aliquod ratum tollatur. <sup>b)</sup> Colligo inde, quod hoc nostro casu Iudaica vxor, a marito Christiano facta, retineri queat, etiamsi illa nostris initiari sacris nondum cupiat, quia matrimonium eorum adhuc suo gaudet valore. Neque obest quod hoc modo cum infidelibus fideles commisceantur; nam hi coniuges, cum vna caro fierent, ipsi iam erant infideles, quorum commixtio iam non demum fit, sed tantum conseruatur. Eoque maior est aequitas, qua eiusmodi matrimonium conseruamus, quo maior spes est, fore, vt infidelis coniux perpetua cum Christianis conuersatione, tandem in rectam viam, id est, ad veram religionem reducatur. Plenius omnia quae dixi iure canonico conficiuntur; ait enim INNOCENTIVS III. <sup>c)</sup> pontifex: *De infidelibus ad fidem conuersis, vtrum si ante conuersionem suam, secundum Legis veteris instituta, circa gradus a canone denotatos coniuncti fuerint, separari debeant post baptismum: consultationi tuae duximus respondendum, quod matrimonium sic contractum non est post baptismi lauacrum separandum, cum a Iudaeis dominus requisitus, si liceret uxorem ex quacunque causa dimittere, ipsis respondit: Quos Deus coniunxit, homo non separet: per hoc innuens esse matrimonium inter eos.* Cum eoque penitus conuenit, quod idem pon-

<sup>b)</sup> LAUTERBACH. Collegium Pandect. tit. de diuort. §. 4.  
SCHNEIDEW. ad Inst. tit. de Nupt. P. IV. n. 21.  
<sup>c)</sup> in c. 4. X. de consanguin. et affinit.

pontifex alio loco constituit, <sup>d)</sup> simul ad Apostoli dictum prouocans: *Si quis frater infidelem habet uxorem, et haec consentit, habitare cum eo, non illam dimittat.* Ego itaque hoc matrimonium eo quod alter coniugum Christianam religionem secutus sit, ipso iure infirmari asserere non ausim.

## §. XII.

*Facit tamen Christiana fides accepta ut infidelis diuertere, fidelis autem ad secunda vota transire queat.*

Intelleximus itaque quod matrimonium inter Iudaeos contractum etiam tunc maneat firmum, si alter coniux ad fidem fuerit conuersus. Quinimo perspeximus, quod pars conuersa, cum altera parte inuita ne quidem diuortium facere possit. Verum enim vero haec tam diu valent, quam diu pars infidelis in coniugio permanere consentit, quippe quae inuita non retinetur. Ait enim Apostolus: <sup>a)</sup> *Si infidelis discedit a fidei, discedat.* Idem repetitum et in postquam Legem redactum est ab INNOCENTIO III. pontifice, <sup>b)</sup> cuius rescripti haec sunt verba: *Sane tua Fraternitas intimauit, quod altero coniugum ad haeresin transunte, qui relinquitur, ad secunda vota desiderat conuolare: quod utrum possit fieri per tuas nos duxisti litteras consulendos. Nos igitur consultationi tuae respondentes distinguimus, licet quidam praedecessor noster sensisse aliter videatur, an ex duobus infidelibus ad fidem catholicam conuertatur, vel ex duobus fidelibus alter labatur in haeresin vel decidat in gentilitatis errorem. Si enim alter infidelium coniugum ad fidem catholicam conuertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia diuini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente: qui relinquitur, ad secunda si voluerit vota, transibit: et in hoc casu intelligimus, quod ait Aposto-*  
lus

d) in c. 8. X. de diuortii add. I. ad Corinth c. 7. v. 12. 13. 14. conf. CARPZ. Jurisprud. Consistorial. Lib. II. def. 7 et 207.

a) I. Corinth. c. 7. v. 15. conf. LUTHERVS in Explic. ad I Corinth. c. 7. §. Wie nicht das Christliche Gemahl.

b) in c. 7. X. de diuortii.



lus: Si infidelis discedit, discedat; frater enim vel soror non est servituti subiectus in huiusmodi. Et canonem etiam in quo dicitur: Contumelia creatoris soluit ius matrimonii circa eum, qui relinquitur. c) Cum itaque hac pontificis constitutione, intuitu fidelis coniugis, propter discessum alterius infidelis, matrimonium solutum censetur, atque relicto ad secunda vota tum, si relinquens nullo modo illi cohabitare velit, conuolare concedatur, sequitur inde, ut infideli discedere liceat, fidelis autem tam diu teneatur, quam diu altera pars in coniugio manet et consentit. Discessu secuto, quod fidelis relictus tanquam innocens, aliud cum Christiana licitum inire possit matrimonium, partim ex propositis abunde patet, partim ex eo certum est, quod Apostolus d) dicit, quodue repetiit pontifex, eo casu fratrem vel sororem eiusmodi haud esse subiectum servituti.

## §. XIII.

Cum itaque conuerso, qui ab infideli coniuge suo relictus est, ad secunda vota Christiana conuolare permissum sit, dispiciendum iam venit, quo modo id ei sit concedendum? utrum statim qualicumque huius rei demonstratione praecedente, eaque ad sacerdotem relata, an vero post causae cognitionem iudicalem, et sententiam subsecutam demum proclamandus atque per sacerdotalem benedictionem coniungendus sit? Ego vero eum non aliter quam causa cognita et sententia lata, cum proclamationem tum ipsam benedictionem impetrare posse arbitror. Nam constare debet, infidelem nullo modo, aut non aliter nisi cum nominis diuini contemptu

ei

c) De altero casu, qui adhuc in all. cap. continetur, quamuis in eo quaedam notatu digna obuenant, iam parum tamen sollicitus ero, quia scopum meum non attingit. Interim de eo conferri merentur LUTHERVS in Explicat: ad I Corinth. c. 7. et BEZA in libello de Diuortiiis.

d) I Corinth. c. 7. v. 15.

ei cohabitare velle; \*) quo ipso, vt omnem operam de conciliando retinendoque deferente adhibuerit, maximeque de matrimonio continuando sollicitus fuerit, praeceptum, quinimo sub hac tantum Lege ad secundas nuptias transire permiffum est. Vnde vero alias de his omnibus legitime ac factis constare potest, quam ex publicis Actis? Quamuis enim de iis ipse conuersus testetur, testi tamen in propria causa non creditur. b) Quamuis etiam declarationem deferentis coram magistratu, veluti per solam implorationem requisito, extra casum litis expositam afferat, haec tamen confessio neque confitenti nocere, neque id quod postulamus, videlicet deferentem nequaquam redire velle, certum reddere potest, quia eiusmodi confessio citra legitimum procedendi modum explorata est; si enim competens magistratus ita processit, ipse nihil egisse videtur, quia reus et hoc casu sub comminatione citandus, et super contumacia commissa, sententia ferenda erat: sin vero magistratus incompetens id negotii suscepit, is per se inualide adeoque nulliter egit, quia in causis matrimonialibus ne quidem prorogationi locus est. c) Hinc, vt omnia rite eueniant, vtque certissimum sit, fidelem desertum admonuisse coniugem infidelem, eumque vt in coniugio remaneat, omni diligentia commouere studuisse: hunc autem nihilominus in deferendi voluntate persistisse, profecto necesse est, vt coram illo magistratu, cui huius causae cognoscendae facultas competit, tractetur modusque procedendi legitimus obseruetur, tandemque, ne quid causae decisioni desit, sententia feratur, eaque transeat in rem iudicatam. Neque aliter in eodem casu, quem supra enarrauimus, Consistorium Regium Supremum Dresdense procedendum esse decreuit. Quamuis enim iam nominatus C. D. R. Iudaicae suae vxoris declarationem, quod maritum sequi nolit,

a) c. 7. X. de diuortiiis.

b) L. 10. ff. de testib.

c) arg. L. 22. ff. de iudiciis conf. CARPZ. P. I. Const. 7. def. 4.

nolit, ad requisitionem praetorii Dresdensis, a magistratu Loschüzienſi exploratam et transmiſſam impetrauerit; re tamē ad Conſiſtorium perlata, hoc ad Superintendentem et Senatum Dresdenſem hunc in modum reſcripſit: Daß durchs Stadtgerichte zu Neustadt nochmahls nach Loschüz geschrie- ben, und alda dem R. . . . . ehemahligen Jüdiſchen Weibe die Bedeutung gethan werden ſolle, binnen Sächſi- ſcher Friſt ſich zu erklären, ob ſie dem Manne anhero ſol- gen wolle. Quo facto, cum ex magistratus Loschüzienſis reſponſione, aliisque circumſtantiis apparuiſſet, infidelem il- lam vxorem marito cohabitare nolle, ab Illuſtriſſimo iudicio haec emiſſa fuit citatio: Daß vor den verordneten Praesi- denten, Rätthen und Aſſeſſoribus in alhieſigen Ober- Con- ſiſtorio R. . . . . Jüdiſches Eheweib Rachele den 17. Octobr. 1749. zu gehöriger Zeit unter der Commination, daß wenn ſie nicht erſchiene, ſie als eine böſeliche Verlaſſerin von ih- rem Ehemanne geſchieden werden ſolle, in Perſon erſcheinen, und hierunter mit ihrem Ehemanne Verhör und Handlung pflegen, auch nach Befinden gebührenden Beſcheides gewart- ten ſollte. Qua citatione infideli vxori inſinuata, hac autem contumace emanente; in laudato Supremo Iudicio Eccleſia- ſtico ſic fuit pronunciatum: Daß geſtaltten Sachen nach, Beſchlagte nunmehr vor eine böſeliche Verlaſſerin ihres Ehe- mannes zu erkennen, inmaſſen Wir ſie hiermit davor erken- nen, und erklären, Klägern aber der Ehe halber von ihr gänzlich entbinden und löſzehlen, ihme auch als unſchuldigen Theile, ſich anderweit chriſtlich zu vereheligen geſtatten und nachlaſſen. En itaque modum procedendi legitimum, quo aduerſus coniugem infidelem vtendum eſt, ſi fidelis ad ſecun- da vota iure tranſire velit.

## §. XIV.

Quidſi autem fidelis coniux deſideret, vt infidelis aut *Coram quo*  
cohabitet, aut diuortium fieri patiatur? *magistratu,*  
*quomodo proces-*  
D 2 actio

*sus genere fidelis contra infidelem discedentem agere possit, discutitur.* actio instituenda, quoue processus genere vtendum erit? Vtrumque paucis disquiram. Ad magistratum quod attinet, quin Christianus ille, coram quo causae matrimoniales ventilantur, hic etiam sit competens, non dubitandum esse arbitror; nam et haec matrimonialis est causa, vbi agitur ad matrimonii dissolutionem. Iudaeis vero siue inter se, siue cum fidelibus, de matrimonio vel contrahendo vel dissoluendo litem ferant, singularis magistratus non est constitutus, sed more Christianorum iis quoque ius dici solet; \*) quare ne nostro quidem casu a regula recedendum, sed instar causarum matrimonialium Christianorum, ille non minus in eodem foro pertractandus est. Vbicunque igitur causae matrimoniales ad consistorium relatae sunt, vt in plurimis locis vsitatum, \*\*) ibi et ea causa, de qua nos quaerimus, non nisi coram consistorio ventilari potest. Praeterea cum accidere possit, vt illi coniuges in diuersis locis commorentur, vltcrius videndum est, quodnam consistorium alteri sit praefendum, an id cui maritus fidelis, an vero istud cui vxor infidelis subest? Ego vero eiusmodi causam semper ac indistincte ad illud iudicium, sub quo deprehenditur fidelis, pertinere statuo; aut enim fidelis agit, et tunc infidelis habetur pro deserente, c) contra quem semper in foro deserti agendum est: d) aut infidelis ipse agit ad continuandum matrimonium, et tunc actor sequi debet forum

- a) h. diff. §. VII. conf. BECKIUS de Iuribus Iudaeorum Cap. VII. §. 29. p. 142. ibique all. SCHNEIDEWIN ad Instit. Tit. de Nupt. Part. IV. n. 8.
- b) SCHNEIDEWIN ad Instit. Tit. de Nupt. Part. IV. n. 6. In Saxonia vid. Ord. Pol. de anno 1612. Tit. Von Consistorial-Sachen n. 7. §. Sonsten gericht Ehe-Sachen n. conf. CARPZ. Iurispr. Consistor. Lib. II. def. 1. n. 22.
- c) vid. c. 4. X. de consanguin. et affinit. et c. 8. X. de diuort. ibi: *qui relinquitur.*
- d) Quod eo casu, quo, vbi deserens commoretur, innotum est, dubio caret, vsque forensi quotidie probatur. De casu, quo locum, vbi reus deprehenditur, cognitum habemus vid. CARPZ. Iurisprud. Consistor. Lib. III. Def. 56. n. 17.



und ergeheth sodann, entweder auf ihr Erscheinen, oder Vorwenden, oder wider ihr Ausbleiben, wenn richtige relation beygebracht wird, der Ehescheidung halber, was Recht ist *W. N. W.* Ex qua sententia plenius intelligitur, eiusmodi causam ad consistorium pertinere, quia ipsa in consistorio lata est, et quidem ad illud, cui desertus subest, quia deserens vxor per requisitionem illius magistratus, sub quo ea commorabatur, citanda erat. Porro inde perspicitur, processui desertionis locum esse, quia libelli<sup>a</sup> repudii missio illicita declaratur, atque diuortium, contra contumacem emanentem, ob desertionem iure fieri, haud obscure statuitur.

## §. XV.

*Matrimonio  
per sententiam  
soluto  
Iudaea non  
indiget repudii  
libello.*

Postquam diuortium secutum, atque per sententiam conuersus a Iudaica quondam vxore solutus est, Iudaea inde non potest non etiam plene soluta censerī, quia praecipuus instituti processus desertionis fuit finis, vt matrimonium penitus dissolueretur. Sed inter Iudaeos adhuc hodie mos est, vt Iudaeae, quamuis illius quondam maritus post factum diuortium Christianam duxerit in vxorem, aliud inire matrimonium tamen non permittatur, nisi solennem Iudaico more acceperit repudii libellum. <sup>a</sup>) Fit inde vt eiusmodi Iudaea eiusque cognati neque pretio neque operae parcere soleant, quibus ad dandum repudii libellum quondam hunc maritum commoueant. <sup>b</sup>) Qua occasione, an Iudaea id iure poscat, et conuersus teneatur, adhuc peruestigandum est. Multum quidem ea de re inter DD. iam disputatum fuit, quorum nonnulli conuersum repudii libellum, attamen meo iudicio ex ratione parum congrua, dare posse negarunt. Etenim arbitrati sunt conuersum ideo mittere non posse repudium, quia

ex

a) Repudiorum formulas et ritus recenset *BVXTORFIVS* in Synagoga Iudaica. cap. 40. p. 643. sequ. et *BECKERVS* de Iurib. Iudaeor. c. VII. §. 27.

b) vid. *SCHVDT.* in Jüdischen Merkwürdigkeiten Part. II. Lib. VI. cap. 24. §. 14. p. 423.

ex arbitrio ei diuertere non liceret, quod nihilominus faceret, si repudium dare non dubitaret. <sup>c)</sup> Ego vero ab iis re ipsa non dissentio, quamuis alias habeam causas, cur neque conuerso ius dandi, neque Iudaeae ius poscendi repudium, tribuam. Primo enim cum ZIEGLERO <sup>d)</sup> repudia Iudaeorum in nostra republica tolerari non debere, firmiter statuo, partim quia eadem ipse CHRISTVS ad duritiem cordis illius gentis aperte remisit, <sup>e)</sup> partim quia Iudaei nostro iure vivere, adeoque matrimonia non aliis ex causis, quam Christiani dirimere obstricti sunt. Deinde si aliquod matrimonium semel publica auctoritate riteque solutum est, quid quaeso noua eaque priuata solutione opus est? Si igitur conuersum respiciam, eum iure dandi libellum repudii penitus reperio destitutum, quia nec publicas contra Leges quicquam agere, nec id quod iam solutum est, denuo soluere potest. Ad Iudaeam vero quod attinet, si repudium poseit, ea non minus id, quod Leges prohibent, quodue animo vix cogitari potest, postulat. Et si dicendum quod res est, Iudaea repudio solenniter accepto ne quidem indiget, quia publica magistratus auctoritate iam dimissa est, illoque tanto magis carere saluo iure potest, quanto minus ea, etsi pro parte nocente habeatur, ad secundas nuptias conuolare moribus nostris <sup>f)</sup> inhibetur.

## §. XVI.

Vnica quaestio adhuc decidenda est: vtrum conuersus, *Conuersus ante diuortium* ante legitimam ab vxore Iudaica factam separationem, *ante diuortium* instituto tamen processu, cum Christiana concubens adulterium, *secutum cum Christiana* an vero stuprum tantum committat? Quodsi communem doctrinam, ac imprimis CARPZOVIYM <sup>g)</sup> sequamur, eiusmodi *concupiens, num adulterium, an stuprum committat?* concubentem tum adulterii, tum bigamiae delicto communiari statuendum erit, quia prius matrimonium nondum est

dissa-

c) BECKIUS de Iurib. Iudaeor. Cap. VII. §. 29. p. 141.

d) all. diff. de Iurib. Iudaeor. Cap. II. §. 15. add. COVARRVVIAS P. II. de matrimo. c. 7. §. 4. n. 5.

e) MARG. c. 10. v. 4. 5. sequi.

f) teste laudato BECKIO de Iurib. Iudaeor. Cap. VII. §. 29. p. 142.

g) Iurisprud. Confessor. Lib. III. Def. 67. n. 2, 3

dissolutum. Sed cum inter omnes constet, verum delictum non esse, adeoque nec adulterium, nec bigamiam, nisi dolus delinquentis adsit, et praeterea minimas circumstantias, in criminali causa, rem variare; ego quidem valde dubito, an in vniuersum affirmari possit, nostro casu concubentem adulterii et bigamiae esse reum. Ipse CARPZOVIVS <sup>b)</sup> iam iam fatetur, ordinariam adulterii et bigamiae poenam, in eiusmodi transgressorem, haud esse decernendam, sed quicquid rigoris obtinere videatur, magis in terrorem, quam vt vere decernatur, introductum censeri. Ego vero plane non inteligo qui fieri possit, vt factum aliquod illicitum ad certum delictorum genus referamus, et nihilo secius eo commissio, debita poenae locum esse, negemus. Appellemus itaque hoc factum illicitum tale, quale est, videlicet stuprum non adulterium. Si enim noster concubens adulterii reus declararetur, nulla certe differentia foret inter eum, qui iustam diuortii causam iam tum existentem pro se allegare potest, et inter alium citra eiusmodi causam, carnali commixtione fidem coniugalem violentem, cum tamen, discrimen maximum interesse, vix vllus sit negaturus. Accedit quod instituto desertionis processu iam constet, deserentem redire nolle, cum alias ad illum haud deueniatur. <sup>c)</sup> Denique cum desertus ope coniugali et remedio vstionis priuatus sit, num vrere magis quam naturam sequi debeat? Ignoscendum ei erit, qui aliqua causa eaque haud penitus spernenda commotus deliquit, <sup>d)</sup> adeoque delictum, si quid commissum est, pro leuiori potius quam grauiori habendum. Ceterum si dolose concubuerit, nihil quidem habeo, quo eum ab adulterii poena liberem. At vero non tantum dolus non praesumitur, sed ipse concubens bona praesumptione qua vstioni obuiam ire, quam luxuriose viuere maluisse videtur, munitus est.

b) all. loc. n. 9. 10.

c) CARPZOV. Iurisprud. Consistor. Lib. III. Def. 58.

d) L. 38. §. 8. ff. ad Leg. Iuliam de adulter. L. 14. §. 6. in f. ff. de bon. libertor.



A 1147132.8